DISSERTATIO PSYCHOLOGICA, DE ANIMÆ RATIONALIS ORTU,

Quam,

Divinâ assistente gratiâ,

EX DECRETO ET AUTHORITATE

AMPLISSIMÆ AC CELEBERRIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN ILLUSTRI ACADEMIA MARPURGENSI,

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo,

DN. HENRICO MAJO,

Medicinæ Doctore, Serenissimi Hassiæ Princip. Archiatro, Medicinæ & Physices in prælaudatâ Academiâ Professore Ordinario, Medicæq; Facult. p.t. Decano, Præceptore, Patrono ac Promotore suo, nullo non honoris genere ad cineres venerando.

PRO MAGISTERII Laureâ ritè obtinendâ,

In Auditorio Philosophico,

Ad diem VII. NOVEMBR. Anno M.DC.LXXIV.

Publicæ Eruditorum disquisitioni subjicit

JOHANNES HEYMELIUS,

Hebelensis Hassus.

MARPURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno M.DC.LXXIV.

VIRIS

Admodum Reverendis, Clarissimis ac Doctissimis,

DN. ADOLPHO FABRICIO, Vineæ Dei Cultori apud Hombergenses vigilantissimo, ejusdemq; classis Metropolitano meritissimo, Domino Mecœnati ac Patrono suo omni honoris & observantiæ genere prosequendo.

DN. CHRISTOPHORO GUDENO, Diacono apud Hombergenses & Pastori apud Holzhusanos disertissimo, fidelissimo, Domino Fautori ac Promotori suo maximè venerando.

Ut &

Nobilissimis, Consultissimis VIRIS,

DN. NICOLAO Zoll/ Quæstori,
DN. CASPARO HEISIO, Prætori,
Civitatis Hombergensis ejusdemq; classis meritissimis, Dnn. Patronis, Fautoribus ac Promotoribus suis summo honore cumulandis.

Nec non

Gravissimis, Spectatissimis ac Prudentissimis VIRIS,

DNN. CONSULIBUS, CONSULARIBUS, omnibusq; reliquis Senatorii ordinis ASSESSORIBUS, atq; Reip. Hombergensis Gubernatoribus vigilantissimis, Evergetis suis optimè de se meritis & perpetim suspiciendis,

DISSERTATIONEM hanc
in
perpetuæ observantiæ tesseram;
Devotæ gratitudinis monumentum;
ulterioris favoris incitamentum
exhibet & offert
JOHANNES HEYMELIUS.

Σὺν τῷ Θεῷ!

DISPUTATIONIS MEDICO-PHYSIOLOGICÆ, DE CALIDO INNATO ET HUMIDO RADICALI.

THESIS I.

Dari in natura aliquod calidum & humidum viventibus proprium & ratio probat & experientia demonstrat.

Explicatio.

I.

NOn est, credo, ullum in arte nostra Medica, quod crebriùs apud priscos istos Heroës, Hippocratem dicò, Galenum, Aristotelem & alios, occurrat nomen, si non CALIDUM NATIVUM & HUMIDUM RADICALE: quod ipsum & Harvæus confirmat de generatione animal: Exerc. 71. inquiens: Sæpè calidi innati mentionem incidere, & humidi primigenii, quibus nominibus multos videas deliciari: ut adeò non sine mente scripserit Sennertus, communis ille & non satis laudandus Germanorum Medicorum præceptor, Inst. Med. lib. 1. cap. 5. *omnes quidem Philosophi & Medici fatentur, calidum & humidum innatum esse præcipuum animæ vegetantis instrumentum.*

2. Sic itaque de rei hujus identitate apud Philosophos æquè ac Medicos constat, constititque semper: At verò quæ *calidi* hujus *nativi* & *humidi radicalis* sit natura, in tantum olim dissenserunt Authores, ut præstantissimus sui temporis Medicus Joh. Bapt. Montanus in Comment. ad Hippocr. Aphor. 14. sect. 1. de se ipso non erubescat scribere: *Ego, ut ingenuè fatear, profitebar me Doctorem esse, & vix tandem senex cognovi, quid esset calor innatus.* Et non desunt viri magni, quorum judicio ne senex quidem illud integrè penetravit.

3. Cùm autem inter ipsos veteres, quibus eadem Medicinæ erant principia ac fundamenta, tanta hujus rei fuerit obscuritas, ut, quo quis in investiganda calidi innati natura plures Authores in consilium adhibeat, eò ferè incertior reddatur: quid hodiè fiet, ubi per Neotericorum inventa veterum fundamenta in tantum corruisse videntur plurimis, ut illis omnis ferè antiqua sapientia lusus & jocus videatur: unde quotidiè de novis Medicinæ Institutionibus, Systematibus & corporibus cogitatur iis, quibus pleraque antiqua sordent maximè: siquidem ea est plerumque humanæ mentis curiositas, ut, priscorum pertæsa, semper nova sectetur, ipsaque, ut operum, ita & dogmatum sibi novitate blandiatur.

4. Ast, utut nemo, cui sine præconcepta mentis opinione & depurato ab invidia animo, nova illa ab Harvæo & aliis manifestata inventa sunt perspecta, ea non dicet & agnoscet in facienda Medicina utilissima; quòd non saltem verum partium principalium usum, ab Hippocrate succinctis aphorismis assertum, à Galeno autem *Asiaticâ illâ loquacitate* (quæ Cl. *Lindenii* sunt verba) obscuratum, naturæ reddiderint & corpori: Sed & multorum insuper affectuum naturam, causas & medendi rationem, sæpè eousque, experientiâ potiùs quàm ratione suffultam (quod Cl. Conringii est judicium) intimiùs perspicere docuerint: Non tamen ideo statim delirâsse vetustas dicenda est, quòd quædam aliter docuerit, quàm nos hodiè: Quin imò rectiùs hîc audiendus est Galenus 2. de sympt. caus. c. 5. inquiens: *Vetus quidem sermo non est in totum verus, etiamsi quis eum commodè determinet: id quod etiam facere par est, amicè potiùs veterum dicta interpretantibus, quàm malevolè arguentibus*, cùm teste Augustino 11. de Civit. Dei cap. 22. *Divina nos admoneat providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere.*

5. Hoc ut impræsentiarum à nobis fiat, doctrinam de calido innato & humido radicali altiùs repetendam censemus: uti in thesi proposita facere tentavimus, assertionem nostram super *Rationem*, & *Experientiam* tanquam indubitata Dogmaticæ Medicinæ fulcra fundantes.

6. Et quidem *Rationem* quod attinet; cùm ad unionem formæ vivæ cum sua materia necessariò requiratur aliquod instrumentum seu vinculum certum, in toto corpore non aliud excogitari poterit

verius,

verius, quàm calidum & humidum; siquidem juxta Aristotelem lib. de longit. & brevit. vitæ, *ipsa vita consistit in calido & humido*, & ipso sacro codice teste Levit. cap. 17. ℣. 11. *anima est in sanguine*, qui utique est calidus & humidus.

7. Est autem hic calor & humor viventium singulariter blandus, adeóque diversus ab illo, qui omnibus corporibus mixtis inest; quòd ad conjunctionem animæ viventis [tanquam præ forma mixti nobilioris] cum sua materia, nobilior calor & humor requiratur ad istam formam cum materia uniendam.

8. Neque obstat dictis, quòd etiam peculiare frigidum & siccum requiratur ad corporis vivi constitutionem: siquidem ex Valerio Martini lib. 1. de certitud. Medendi cap. 31. & Francisco Vallesio lib. 5. controv. Med. cap. 11. notum est, quod illæ qualitates non adeò evidenter agant, quàm calor & humiditas, unde & hæ duæ qualitates vocantur *radicales* corporis vivi, quamvis pleríque Physici soli humiditati hoc tribuant, quod sit radicalis qualitas in vivo corpore, calori autem tribuant hoc peculiare epitheton, quòd sit nativus: uti pluribus patescet infra.

9. De *Experientia* neminem credo, dubitare ampliùs, cui sanum est syncipUt, quòd vel ad tactum actualis hic calor in sanguine tanquã indubitato humido se probet, imò moritur homo, quando in ipso extinguitur innatus hic cordis ignis, unde rectè Cl. Walæus Instit. Med. l. 1. c. 3. inquit: *Probatur dari calidum innatum, quòd in homine vivo datur aliquod calidum, quod non est in cadavere; & illud est calidum, quod in nobis vocatur innatum.* Hinc admirandum omninò artificium est juxta Sennertum l. c. quòd calidum etiam tactu perceptibile in corpore animalium posuerit creator sapientissimus, quod toto vitæ tempore duret.

10. Et ab hoc actuali calore est, quòd Hippocrati passim calidum hoc dicatur πῦρ, ignis, ob similitudinem quam cum igne focali habet, tam in Effectis, lumine, calore, motu, quàm in necessariis ad conservationem sui: Habet enim is opus foco in quo ardeat; Fomite quo nutriatur, ventilatione, quâ excitetur ejus vis; Transpiratione deniq; liberâ, ut sese diffundat. Quæ omnia hic quoque ignis animalis habet: nempe focum in corde; fomitem ab alimentis; ventilationem à spiritu quem ducimus; & denique pulsu diffunditur & transpirat,

& se à fuliginibus suis liberat: unde quóque hic ignis extinguitur, quando vel pabulo convenienti destituitur obruiturve, vel aëris commodi inspiratione privatur. A Deusingio Exerc. de sangu. usu §.10. p.m.7. vocatur flammula vitalis, quòd sit quasi ignis sui generis. Est enim revera calidum illud ignis naturalis. Ignis quidem ob causam jam dictam: Naturalem autem appello, quia & nativus est, & naturâ præditus. Nativitas ejus ex semine est. Ratio originis consistit in mutatione τῆς χέσεως, scheseis in eo, ut quod semen est & dicitur ante generationem, idipsum sanguine materno conceptum sit & dicatur calidum & humidum, uti ex sequentibus patescet pluribus.

II. Cùm verò aliud sit calor & humor abstractivè dictus, aliud concretivè: Physici & Medici communiter de calido & humido vitali sic loquuntur, ut appareat eos non tam intelligere accidentia sive qualitates in abstracto, sed in concreto substantias blando calore & humiditate præditas; uti ex lectione Authorum cuivis innotescet facilè.

THESIS II.

Et calidum quidem illud nihil aliud est quàm Spiritus vitalis vulgò dictus; Humidum verò sanguis cui spiritus iste inest.

Explicatio.

I. SUnt utique calidum & humidum duæ diversæ substantiæ, & non unum corpus inseparabile, quod interdum sub nomine calidi, interdum sub nomine humidi veniat, uti quidem rectè secundùm Galenum & ejus asseclas, malè verò secundùm Hippocratem & ipsam naturam infert Keckerm. system. Phys. Lib.3. c 5. Quin imò ipsa calidi innati definitio ex Galen. lib.1. super Aphor. Hippocr.14. & lib.6. de vulgar. morb. c.5. præcipuè hausta hactenus communiter Physicis & Medicis approbata, quâ illud dicitur *substantia prætenuis & spirituosa, caliditate cœlesti perfusa, quæ humido primigenio singularum partium corporis vivi ab ipso semine insita & inhærens, præcipuus actionum in corpore vivo autor existit*: Si rectè explicetur, nostræ sententiæ, quâ duas distinctas substantias esse calidum nativum & humidum radicale dicimus, non contrariatur; neque etiam ratio illa à Keckerm. l.c. allata, *quòd* nempe *inseparabilia sint ista duo, ut nec calidum vitale esse possit sine humido, nec humidum sine calido, sed uno extincto etiam alterum*

terum continuò extinguatur, aliud evincit: Sustentatur enim & conservatur sanguine alternatim in cordis ventriculos impulso, hinc & expulso, utpote pabulo suo, ignis cordis internus & vitalis, perficitur vicissim ab hoc igne sanguis, redditurque ab ipso reparandis & augendis omnibus corporis partibus tam continentibus quàm contentis convenientissimus.

2. Et calidum illud non esse confundendum cum spiritu vitali, cujus planè alia sit ratio censet quidem Cl. Deusingius Exerc. de sang. usu §.10. ast contrarium, nempè calidum istud nihil aliud esse, quàm spiritum vitalem vulgò dictum probatur partim Authoritate Scaligeri, qui Exercit. 208. inquit: *Scriptum reliquere sapientes, nihil aliud esse calorem naturalem, quàm spiritum.* Aristotelis, qui 2. de generat. animal. c. 3. calidum innatum seu θερμὸν, quod facit, ut fœcunda sint semina, nominat τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει πνεῦμα, *spiritum, qui in semine spumosoq; corpore continetur*; & Galeni, qui 2. de simpl. Med. facult. c. 9. expressè scribit: *Calor innatus est, quem in quoq; animali nativum spiritum nominamus, de quo & Aristoteles scripsit, quiq; ex Stoicorum opinione ipsa animæ substantia habitus est; certè primum ejus instrumentum est, & in omnibus animantis continetur partibus.* Unde & Sennertus l. c. concludit: *Omninò consultius videri cum Aristotele substantiam hanc spiritum appellare, quàm cum Medicis calidum nativum*: Partim ratione, quòd omne illud, quod aliâs calido innato tribuitur, multo commodius & rectiùs etiam de spiritu vitali explicari queat; cujus defectus imprimis conspicitur in animi deliquiis: uti pluribus probat & per partes Cl. Mœbius Epit. Instit. Med. lib. 1. c. 5.

3. Sic & humidum, cùm non sit manifestius in toto corpore præter ipsam sanguinis massam, ipso sensuum testimonio constare, adeoque ulteriori probatione vix opus habere thesin propositam censemus.

4. Aliter quidem hac in causa philosophatur Cl. Harvæus Exerc. de gener. animal. 71. quando dicit: *Non est opus profectò spiritum aliquem à sanguine distinctum quærere aut calorem aliunde introducere, Deosve in scenam advocare, philosophiamq; fictis opinionibus onerare: domi scil. nascitur, quod vulgò ab astris petimus: Solus nempe sanguis est calidum innatum, seu primò natus calor animalis, &c.* &

 paulo

paulo pòst: *Nihil ſanè in corpore animalium ſanguine prius aut præſtantiùs reperitur; neq; ſpiritus, quos à ſanguine diſtinguunt, uspiam ab illo ſeparati inveniuntur: &c.* Quanquam autem non ſine mente hæc aut ratione ſcripſiſſe probet abundè in ſubſequentibus vir ille de re medica meritiſſimus; nobis tamen magis hoc in negotio arridet judicium nunquam ſatis laudati Schenckii, qui ſcholæ partium cap.1. dans ſuper hac re mentem ſuam inquit: *Spiritus in nobis dari arguunt tum operationes tum effectus qui propriè in humores non cadunt: unde enim (1) calor, unde motus eſt in ſanguine, unde lux, unde robur, unde agilitas ſumma? non ab humore, ſed re ſpirituoſa. (2) in momentum ſentire, videre, olfacere &c. non ſunt corporea, ſed ſi ita loqui licet, incorporea ſubſtantia effectus. (3) Virium debilitas vel robur non ex ſanguine, ſed ex ſpiritu metienda. Si enim ex ſanguine, magna quantitas extracta debilitaret; ſed contrarium eſt manifeſtum, imo gravat & ſuffocat potiùs ſpirituum virtutem; ut in plethoricis. (4) Liquet in mortuo homine ſanguinem in vaſis videri, ſed Spiritum nullum, qui ſi eſſet nil niſi ſanguinis portio ſubtilior, attamen exhauriri totus tam ſubitò non poſſet: Accedit quòd diverſa vaſorum, qui ſanguinem ſimpliciter venoſum, qui arterioſum vehunt, qui animalem ſpiritum continent & diſpenſant, & diſpar omninò ſit conſtitutio, ut hoc nomine nihil fruſtra conditum à natura facilè obſervare liceat.* Hactenus Schenckius, qui adeò ſatisfeciſſe ſcrupulis ab Harvæo motis videtur, ut ulterius aliquid ſuperaddere nefas duxerim.

THESIS III.

Cumq; paſſim apud omnes veteres illa calidi, ſive ſpiritus diviſio in inſitum ſive innatum & influentem, item humidi (quod nos de ſanguine intelligimus) in Radicale & poſtgenitum occurrat: in tantum abeſt, ut illa per Recentiorum inventa ſit abolita, aut iis contraria, ut potiùs eam ex Recentiorum quàm veterum hypotheſibus explicari rectiùs poſſe, prudentes cenſeant, modò non diverſas res, ſed rerum diverſos reſpectus & conſiderandi modos inferri hâc diſtinctione, obſervetur.

Expli-

Explicatio.

1. DE dicta spirituum divisione nemo dubitare poterit, qui à Galeno 2. de format. fœtus c.9. nominetenus duos loco & motu à se invicem differentes Spiritus descriptos legerit. Sunt autem verba Pergameni hæc: *Demonstratum est, pulsus calidis corporibus adesse. Nullum autem exsangue animal est manifestè calidum, neq; manifestè calidum exsangue. Erit quidem igitur & citra caliditatem cordis, insita à natura existens tepida caliditas in sanguine venarum, & ob id etiam in hepate, verùm cor habent animalia veluti ignis focum quendam, nam & citra hoc caliditas sanguineorum animantium consimilis est foco in ædibus æstatis. Cæterùm quemadmodum domus incenso in ipsa igne fit calidior, sic & corpus animalium ex corde acquirit majorem caliditatem eâ quæ insita est à natura venis ac hepati & sanguini videlicet in eis contento*: Et 5. de simpl. Med. facult. c.9. ubi de caloris nativi differentiis disserit, apertè fatetur: *Eum spiritum in omnibus animantis partibus, sed non undiquaq; esse sui similem, veluti nec sanguinem esse.* Quod ipsum ulteriùs, & disertissimâ quidem oratione manifestatur ab eodem lib.1. de usu pulsus cap. 4. quando dicit: *Non ergò est similis calor is, qui cordi naturalis est, & qui cæteris partibus: cùm id fovere semper sit opus.* Hactenus Galenus.

2. Sic & ipse Cous indubitatus Medicorum Princeps dum 1. Aphor. 14. & 15. expressis verbis *calidi innati* τῦ ἐμφύτυ θερμῦ mentionem facit: necessariò ejus oppositum, nempe *calidum influens*, vel tacitè simul subinnuit: id quod etiam pluribus declarat Galenus in commentario ad hos Aphorismos, simul confirmans per humidum Radicale subintelligendum sanguinem, dum inquit: *Substantia innati caloris aërea est & aquea, sicuti ex semine licet conjectari, quòd paucam omninò terrenam substantiam participat, plurimum autem aëris calidi humidiq; in se ipso continet, quemadmodum in commentariis nostris de semine ostendimus. Jam verò & alterum generationis nostræ principium sanguis menstruus humidum naturâ est.*

3. Atque hoc equidem modo doctrina veterum distinguit calidum innatum seu spiritum insitum, & calidum influens seu spiritum influentem à corde identidem ex sanguine productum, & cum sanguine ad partes omnes transmissum: ut & humidum illud oleosum & pingue, quod primigenium vocant, & pro proximo spiritus insiti

veluti

veluti flammulæ cujusdam vitalis, pabulo habent, (pabulo nempe impropriè dicto, veluti itidem flammula ista impropriè vivere dicitur) & juxta Cl. Sylvium disp. Med. 1. § 5. reapse nihil est aliud, quàm sanguis laudabilis, ob continuam sui consumptionem, reparatione indigens continuâ ab eo sanguine qui indies ex alimentis progeneratur noviter, uti illud nemini Medicorum non est notum. Et voluerunt hujus distinctionis patroni utriusque discrimen demonstratum reddere in certis quibusdam morbis, v. g. in gangræna, sphacelo à perfrigeratione inducto: ubi profectò nemo non videt, influere continuò spiritum ad partem perfrigeratam frigidam, sed nihil posse opis afferre, eò quòd innatus ille & temperamentalis protinus à frigore fuerit corruptus, unde ocyor succedit partis putredo & ejus corrupt.

4. At verò an hæc ipsa veterum doctrina hodièdum, post tot tamque varia Recentiorum cùm Anatomicorum tum Medicorum inventa firmo adhuc stet talo, ita ut non plus confundat, quàm doceat? de eo vel maximè dubitant non elumbes quos habet illa allata divisio hostes: qui aliquod calidum actuale à vitali spiritu in corde suscitato & inde ad partes misso diversum, cæteris partibus non connatum esse, probant vel inde: quòd simulac in syncope nullus calor ad partes à corde defertur, vel quando aliàs impensè debilis est, vel planè extinguitur ille nativus cordis ignis, mox nullum actuale calidum supersit in partibus à corde remotis, unde clarum erit facilè, quòd calidum insitum & influens utrumque à corde veniat, & sic non tàm specie quàm motu differant.

5. Et certè jugulum distinctioni illi veterum hæc Recentiorum petet Ratio, si non utrinque rem esse unam, sed modum ejus considerandi respectumque diversum dicamus: Id quod pulchrè expressit Cl. *Straussius*, qui non obstante quòd olim cursus Medici Disputat. 4. Thes. 1. dixerat: *Calidum innatum cum spiritu vitali res est eadem*, disertis Collegii disputatorii Medici Exerc. 2. th. 11. pronuper asserere non dubitat verbis: *quòd calor, qui ad temperamentum animalium refertur, alius ut insitus, alius ut influens considerari soleat: quorum ille origo vitæ seu immediatum ipsius animæ organum sit, quo ad functiones naturales exercendas utatur: Illius vero fontem & suscitabulum in animali, cor esse, quod ipsum sui motu, qui ab insita seu innata facultate perficitur, per se incalescat; & veluti factâ quadam*

dam

dam fermentatione ſanguini calorem communicet, qui, quòd unà cum ſanguine per arterias in totius animalis œconomiæ receſſus dimanet, influens vocari ſueverit. Hæc ille. Quibus perbellè conſentit Auguſtiſſima illa Celeberr. Schenckii partium humani corporis ſchola ſect.1. part.1. cap.2. hunc in modum docens: *Quod ad ipſam diviſionis* (ſubintellige ſpirituum ſeu calidi) *rationem ſpectat, non quidem alium eſſe influentem ab inſito ſpiritu nos credimus, habent enim eaſdem & ſimiles operationes: ſed hoc interea cur non concedatur videre non poſſumus, eatenus nimirum influentem inſitum dici, qui etſi naturâ influens ſit, cùm tamen primus ad partem accedat eamq́; illuſtret, actionisq́; primarium inſtrumentum ſit, hâc ratione figi quodammodò in partibus & quieſcere; Interea ratione ſucceſſionis & motus, à corde communicatâ novâ ſubſtantiâ vigeſcere & vegetari, cùm hoc maximè faciat ad naturam ſpirituum exactiùs cognoſcendam. Et certè niſi aliud habuiſſent veteres hujus diviſionis Authores principium, quo confirmarent aſſertionem ſuam, ſufficeret tamen vel unicum hoc, quòd cordis ſubſtantia non tam ex ſolida & humida, quàm ſpirituoſa ſubſtantia ſit compoſita, à quâ cùm poſteà ipſe ſanguis, & ex hoc ipſe ſpiritus influens & vitalis conficiatur, nonne applauſum meretur: priorem ſpiritum à poſteriori differre, & hanc diſtinctionem optimè ferri poſſe in ſcholis.* Hactenus Schenckius. Nos præterea hîc notamus, idem calidum dici nativum, quia generando productum eſt: Innatum, quia producendo exiſtit in ſubjecto novo; Inſitum, quia naſcendo inſeritur, ubiq́ue tamen rem eſſe unam.

6. Ex illis quæ hactenus de ſpiritibus ſeu calido ſunt dicta, facilè jam & ſecundi noſtri aſſerti de ſanguinis ſeu humidi diſtinctione veritas eluceſcere poterit: non paucioribus enim difficultatibus & illud laborat dogma quod ſanguinem ſeu humidum primigenium à poſtgenito ſpecie differre ſtatuit. Nos, qui ortum animalium ex calido & humido eſſe, vitamque in calido & humido conſiſtere, adeoq; hæc duo arctâ neceſſitudinis lege copulari, ſcimus; non dubitamus eodem modo de hoc humido ſeu ſanguine nunc, ut antè de calido ſeu ſpiritu philoſophari: nempe eundem ſanguinem, quatenus in prima generatione cordi inſeritur, & ex eo tanquam radice ſanguis poſtgenitus oritur, *humidum radicale*: quatenus autem poſtea ex alimentis vi caloris cordis multiplicatur & cum ſpiritu per arterias ad partes in-

fluit, *postgenitum* seu *influens* dici statuentes firmiter; ubi iterum simul notamus, idem Humidum dici primigenium, quia primò fuit quod fit, & primum existit in eo quod fit: Radicale, quia radix est & causa humidi ad partes propagati, balsami naturæ.

7. Reliqua quæ de calido nativo & humido radicali ab authoribus adferri solent, cùm non sint adeò controversa, quin ex dictis ritè explicari queant, nunc studio prætermittimus. Interea

μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.



COROLLARIA
à Respondente adjecta.

I.

Morbus non est nuda & simplex sanitatis privatio, sed insuper mala subjecti affectio & dispositio.

2. *Fœminæ non minùs quàm viri omnia vasa spermatica habent:*

3. *Unde testes non σημεῖυ χάειν, sed seminis γονίμυ elaborandi gratiâ easdem à naturâ obtinuisse certum est;*

4. *Hinc mulieres non sunt ἄσποροι.*

5. *An aqua, quæ ex latere Servatoris nostri vulnerato effluxit, fuerit ichor aliâs naturaliter in pericardio contentus? Neg.*

6. *Non dantur symptomata causæ.*

7. *Calor febrilis non differt à nativo.*

8. *Urinam sanam non bilis, nec ⊖ia admixta, sed ♀i partes ♀eæ colore illo aureo tingunt.*

9. *Falsò conjicit Riolanus musculum Trapesium, vulgò cucullarem dictum, Protoplastis esse impositum in tesseram vitæ religiosæ seu monachalis.*

10. *Nutritio non fit externâ appositione: sed humoris nutritii per omnes membrorum minutissimas particulas penetratione, ejusdemq; secundùm omnes partium dimensiones unitione atq; assimilatione.*

11. *An Renati des Cartes primarium principium de dubitando sit justa & vera methodus perveniendi ad sapientiam, an potiùs imprudentibus proxima ad Atheismum via? Aff. post.*

12. *An idem rectè statuat cordis & arteriarum diastolen simul fieri, & excitari à guttis sanguinis in cordis ventriculos illapsis, ibidemq; à calore*

calore ejus ebullientibus & dilatatis, & quidem eo tempore, quo cor pectus exterius ferit, & juxta Cl. Harvejum est in systole? Neg.

13. *An alvi dejectio in phtisi confirmata mortem imminentem certò denuntiet? Aff.*

14. *An mulieri uterum gestanti medicamenta purgantia à quarto usq; ad septimum mensem tutò exhibeantur, V. S. autem eidem quovis tempore periculosa sit, præsertim si fœtus grandior? Aff.*

15. *An in omni peste hæc tria simul adsint, bubo, carbunculus & petechiæ? Aff.*

16. *An febris pestilens differat à pestilentia? Aff.*

17. *An in hisce malis tutò adhibeantur purgantia & V. S.? Neg.*

18. *An in dysenteria medicamenta purgantia habeant locum? Aff.*

19. *Empyema paracenthesi thoracis plenè solvi potest, non item hydrops ascites perforatione scroti vel abdominis.*

20. *Melones cucurbitis, & hæ cucumere deteriores sunt.*



Ad

Nobilissimum & Pereruditum DN. RESPONDENTEM.

FRuctibus ingenii cùm sis *Autumnus* & *Æstas*,
 Ac facie referas *Veris*, Amice, decus;
Cur tamen appellaris *Hyems?* cur nomen & omen
 In te tantopere sunt inimica sibi?
Num fortè mundum mendaci fallere larvâ,
 Ac illud, quod non diceris, esse placet?
Imò puto, (verùm modo tangat opinio) nato
 Pars anni voluit quæque favere tibi.
Hinc quia rem dederant felicia tempora totam,
 Nil reliquum præter Nomen habebat *Hyems*:
Hoc dedit, ac *Hyemem* proprio te nomine dixit,
 Nomen habes igitur, prætereaque nihil.
Scilicet innatum monstras, WINTHERE, calorem
 Et mentem indicio sufficiente probas
Nos acclamamus: Non es, quod diceris; aut, si
 Nomen amabis, *Hyems*, sed paradoxa, mane.

Hæc amico suo percharo ponere voluit debuit
HERMANNUS ANDTFELT, Homberg. Hassus.

So kömst du/ Wehrter/ auch zu jenen grossen leuten/
Die ihnen konten ruhm und ehr und gut bereiten
Durch unsre Heil-Arznei. Wie Podalyrius/
Machaon/ Trismegist/ und Aeskulapius/
Chiron/ Archigenes; die ersten Wundertähter/
Darzu Galenus kömt/ des Hippokras vertreter/
Themison/ Mithridat. Und nun Fernelius/
Der köstlich schreibt und heilt/ zusamt Vesalius/
Sind jener Vätter zucht. Der schnöde Parazelsus
Hat dennoch seinen ruhm: Viel schönern doch der Zelsus/
Der Aerzte Tullius. Herr Winther/ der izt schreibt
Von eingebohrner wärmbd'/ wird Solchen einverleibt.

Mit diesem geringen hat seinem wehrten Freund
schuldigst aufwarten wollen

JOH. GREGORIUS Schönfeld.

* *

Quid demum vigili mente volumina
Evolvisse juvat? Quicquid Averroës
Aut Hermes vetulâ deposuit manu,
Aut Coum silicernum.
Quod dudum rapido pollice texuit
Fallax Penelope nocte retexere
Fotum multiplici fraude decennium
Invisos tenuit procos.
At nunquam Lachesis prætereuntia
Emendat refluo secuta turbine
Nec vi, nec gemitu nec medicamine
Tardes jura Proserpinæ.
Fixa lege meat non revocabilis
Fatorum series, quem tibi terminum
Insculptum taciti consilio Dei
Vita diphtera dixerit.
Frustra, seu fuerit de Paracelsicis
Furnis elicitum, sive Galenicè
Incoctum variâ pyxide, jusculum
Audaci ore ligurias.
Sed nemo sapiens, spreverit ordinem
Aut istud mediũ quo sacra numinis
Mundum cura regit, non modò terminum
Et signat medium Deus.
Sanæ mentis inops, qui sine navibus
Pertransire velit cœrúla qui bona
Rerum de vario deligit agmine
Consulto sapiet Deo.
Tu, qui Pœoniæ scripta scientiæ
Vestigas studio & sollicita manu
Mi Winther, medicam sed meritam tibi
Laurum præscius ominor.

In honorem Politissimi & Doctissimi Domini Wintheri amici & fautoris sui adjecit

J. H. HAXTHAUSEN.